



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta  
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs  
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

**Meglinger, Joseph**

**[S.l.], Anno MDCLXXXII.**

7. Martij. Nonis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45295**



7. Martij. Nonis.

Floruit  
anno  
1222.

Cele-  
brans  
videt,  
& am-  
plexa-  
tur Je-  
sum.

Felix  
mors,  
amore  
mori.

**B.** GODESCHALCHE: qui in ver-  
nante ætate te abstrahens à vanita-  
tum mundanarum aspectu ( ne scilicet  
aspectus transfret in affectum) in Valle  
S. Petri cuculla Cisterciensi caput ob-  
velâsti. Successu verò temporis factus  
Sacerdos, Virginis Filium ad purissi-  
mas manus tuas, supra communem a-  
lijs potestatem, attraxisti: ita ut ad o-  
stendendum suū in te amorem, in sacra  
Natalis sui nocte, non aliter sub actu  
Consecrationis visibilis vagiret in tuis  
brachijs, quàm in Bethlehemitis cu-  
nis. Nec tu segniùs in amplexus & ol-  
cula ruiisti, quàm tunc cum castissimo  
Sponso suo Virginea Mater. Hujus  
autem immensi gaudij dulcedo, tan-  
tum fastidium terrenæ habitationis in  
animum tuum induxit; ut ex sola im-  
patientis desiderij magnitudine anima  
vitæ mortalis vincula rupisse credatur.  
*O beatam mortem, ubi Amor Divinus a-  
git non fectam Parcæ, filium vitæ abrum-  
pentis personam! Tu fac ut suavissimus  
ille amor mecum nunc omni momēto vivat:  
non destituet utique, quia mortis æternæ  
victor est, me morientem.*

B.

B. PETRE: qui à matrimonij vinculo liber, libertatem spiritûs sub suavi jugo Cisterciensis Ordinis, in Bonavalle suscipiens, unà cum liberis tuis (inter quos fuit magnus ille Petrus Episcopus Tarantasiæ) terrenum amorem in divinum permutâsti. Quàm verè autem nihil de mundi concupiscentijs tibi inhæserit; luculenter patuit ex fervore spiritûs: qui ad instar ignis nunquam quiescens, te nunc ad labores manuum, nunc ad preces, nunc ad rigidam corporis castigationem, aliâq; pietatis opera, usque ad felicem mortem, exstimulabat. *Dei, an mundi filij* *Dei spl-*  
*simus, Doctor Gentium decidit: ex spiritu* *ritu a-*  
*nimirum, quo quis agitur. Periculosè a-* *guntur*  
*gitur, qui inter mundi procellas alio,* *filij Dei*  
*quàm Dei spiritu ducitur. Tu averte à me*  
*spiritum hujus sæculi nequam; & deduc*  
*vite mee naviculam, afflatu divini spiri-*  
*tûs, ad portum æternæ salutis.*

S. BERNARDUS, ser. II. de divers.

Hæc est libertas, qua Christus nos liberavit; ut nulla penitus creatura avellere nos, aut vim facere possit. Solum id deserere possumus propria voluntate abstracti, & illecti à propria

Voluntas propria separatur à DEO.

H

con-

concupiscentia. Præter hanc enim nihil est, quod timeamus.



8. Martij. 8. Idus.

*Floruit circa annum 1280.* **B.** HENRICE de Marilis: qui cum videres, quantum superbia Mundi, cum suis concupiscentijs, à recta ad cælum via aberret: sancto horrore tristissimæ æternitatis (quæ gaudiorum, vel potiùs infaniarum, mundi finis est) concussus; cum Rege Psalmographo statuisti, abjectus esse in domo DEI, magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Quamobrem, pueritiæ annos non multum prætergressus, ad Villarium, solo DEO Juce, confugisti. Tu quidem te ipsum abjeceras: sed lucernam te esse, præluce dignam, Villarienses æstimaverunt: qui per annos quinquaginta, sub quibus diu Priorem agebas, sanctimonix lumen venerabantur. Et veram fuisse illorum de te opinionem, DEUS per revelationem testari voluit. Ex religiosissimæ enim cuidam probatæ virtutis senis, quoties occurrebas, toties videbaris gestante intra viscera lucidissimam lampadem

*Fugit ex paterna domo:*

*agit 50. annos in S. Ordine.*

*In eius pectore apparuit lumen.*